

præcepti, etiam secundum Philosophos: unde Theophrastus (apud Hieronymum Lib. I. contra Jovin. cap. xxviii.) probat quod sapienti non expedit nubile.

Ad primum ergo dicendum, quod præceptum illud non est revocatum; nec tamen obligat unumquemque ratione iam dicta, nisi illo tempore quo paucitas hominum exigebat ut quilibet generationi vacaret.

Ad secundum, & tertium patet solutio ex dictis.

Ad quartum dicendum, quod natura humana communiter ad diversa officia, & actus inclinatur, ut dictum est. Sed quia est diversimode in diversis, secundum quod individuatur in hoc, vel in illa, unum magis inclinatur ad unum illorum officiorum, alium ad aliud; & ex hac diversitate simul cum divina providentia, quæ omnia moderatur, contingit quod unus eligat unum officium, ut agriculturam, alius aliud; & sic etiam contingit quod quidam eligant matrimoniale vitæ, & quidam contemplativam. Unde nullum periculum imminet.

ARTICULUS III.

Utrum actus matrimonialis semper sit peccatum.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod actus matrimonialis semper sit peccatum. I. Corinth. vii. 29. Qui nubunt, sicut tanquam non nubentes. Sed non nubentes non habent actum matrimonialem. Ergo etiam nubentes peccant in actu illo.

2. Præterea. Isaia. lxxix. Iniquitates vestre dividerunt inter vos & Deum vestrum. Sed actus matrimonialis dividit hominem a Deo; unde Exod. xxxi. præcipitur populo qui debeat Deum videre, quod non accedat ad uxores suas; & Hieronymus dicit (epist. xxi.) quod in actu matrimoniali Spiritus Sanctus Prophetarum corda non tangit. Ergo est iniquitas.

3. Præterea. Illud quod secundum se est turpe, nullo modo potest bene fieri. Sed actus matrimonialis habet concupiscentiam adjunctam, quæ semper turpis est. Ergo semper est peccatum.

4. Præterea. Nihil excusatur nisi peccatum. Sed actus matrimonialis indiget excusari per bona matrimonii, ut Magister dicit. Ergo est peccatum.

5. Præterea. De similibus specie idem est iudicium. Sed concubitus matrimonialis est ejusdem speciei cum actu adulterii, quia ad idem terminatur, scilicet speciem humanam. Ergo cum actus adulterii sit peccatum, & actus matrimonii.

6. Præterea. Superfluum in passionibus corrumpit virtutem. Sed semper in actu matrimonii est superfluitas delectationis, adeo quod absorbet rationem; quæ est principale hominis bonum; unde Philosophus in VII. Ethic. (cap. xxi. vel xiv.) dicit, quod impossibile est hominem aliquid in ipsa intelligere. Ergo semper actus matrimonialis est peccatum.

Sed contra. I. Corinth. vii. 36. Virgo non peccat, si nubat; & I. Thimoth. vi. 14. Voluntas juvenitias nubere, si non procreare. Sed procreatio filiorum non potest fieri sine carnali conjunctione. Ergo actus matrimonialis non est peccatum; alias Apostolus non voluisset illud.

Præterea. Nullum peccatum est in præcepto. Sed actus matrimonialis est in præcepto. I. Corinth. vii.

3. Uxori vir debitum reddat. Ergo non est peccatum.

(1) Vulgata: Ut & qui habent uxorem, tanquam non habentes sint. (2) Vulgata juniores.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum, quod supposito quod natura corporalis sit à Deo bono instituta, impossibile est dicere, quod ea quæ pertinent ad conservationem nature corporalis, & ad quæ natura inclinatur, sint universaliter mala; & ideo cum inclinatio sit nature ad prolis procreationem, per quam natura speciei conservatur, impossibile est dicere, quod actus quo procreatur proles, sit universaliter illicitus, ut in eo medium virtutis inveniri non possit; nisi ponatur secundum quorundam insaniam, quod res corporales causatæ sunt à deo malo; ex quo forte ista opinio derivatur quæ in littera tangitur, & ideo est pessima heresis.

Ad primum ergo dicendum, quod Apostolus in verbis illis non prohibuit matrimonium actum, sicut nec rerum possessionem, cum dixit: Qui utuntur hoc mundo, sicut quasi non utentes. Sed in utroque frivolationem prohibuit; quod patet ex ipso modo loquendi, non enim dixit: Sicut non utentes, vel non habentes; sed quasi non utentes, vel non habentes.

Ad secundum dicendum, quod Deo coniungimur & secundum habitum gratiæ, & secundum actum contemplationis, & amoris. Quod ergo primam conjunctionem separat, semper est peccatum, non autem quod separat secundam; quia aliqua occupatio licita circa res interiores animum distrahit, ut actu Deo coniungi non sit idoneus, & hoc præcipue accidit in carnali conjunctione, in qua desideratur mens propter delectationem intensam; & propter hoc illis quibus competit divina contemplari, aut sacra tractare, indicitur pro tempore illo continentia ab uxoribus; & secundum hoc etiam dicitur quod Spiritus Sanctus quantum ad actum revelationis secretorum non tangebatur mentes. Prophetarum in usu matrimonii.

Ad tertium dicendum, quod turpitudine illa concupiscentiæ quæ actum matrimonii semper comitatur, non est turpitudine culpæ, sed pena ex peccato primo proveniens, ut scilicet inferiores vires, & membra corporis rationi non obediunt; & propter hoc ratio non sequitur.

Ad quartum dicendum, quod illud proprie dicitur excusari quod aliquam similitudinem mali habet, & tamen non est malum, vel non tantum quantum apparet; quorum quædam excusantur à toto, quædam à tanto; & quia actus matrimonialis propter corruptionem concupiscentiæ habet similitudinem actus inordinati, ideo pro bono matrimonii excusatur à toto, ut non sit peccatum.

Ad quintum dicendum, quod quamvis sint idem speciei nature, tamen differunt in specie moris, quam una circumstantia variat, scilicet accedere ad suam, vel non suam; sicut etiam occidere hominem per violentiam, vel per justitiam facit diversam speciem moris; quamvis sit una speciei nature; & tamen unum est licitum, aliud illicitum.

Ad sextum dicendum, quod superfluum passionis quod virtutem corrumpit, non solum impedit rationis actum, sed tollit rationis ordinem, quod non facit delectationis intensio in actu matrimoniali, quia etiam si tunc non ordinetur homo, tamen est à ratione præordinatus.

ARTICULUS III.

Utrum actus matrimonialis semper sit peccatum.

ARTICULUS IV.

Utrum actus matrimonialis sit meritorius.

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod actus matrimonialis non sit meritorius. Chrysostomus enim dicit super Matth. Auctor. oper. impert. hom. 1. Matrimonium etsi utentibus se penam non infert, mercedem tamen non præstat. Sed meritum respectu mercedis dicitur. Ergo actus matrimonialis non est meritorius.

2. Præterea. Illud quod est meritorium dimittere non est laudabile. Sed laudabilis est virginitas, per quam matrimonium dimittitur. Ergo matrimonialis actus non est meritorius.

3. Præterea. Qui utitur indulgentia sibi facta, beneficio recepto utitur. Sed ex hoc quod alicui præstat beneficium, non meretur. Ergo actus matrimonialis non est meritorius.

4. Præterea. Meritum in difficultate consistit, sicut & virtus. Sed actus matrimonialis non habet difficultatem, sed delectationem. Ergo non est meritorium.

5. Præterea. Illud quod non potest fieri sine peccato veniali, nunquam est meritorium; quia non potest homo simul mereri, & demereri. Sed in actu matrimoniali semper est peccatum veniale: quia etiam primis motus in huiusmodi delectatione est peccatum veniale. Ergo actus prædictus non potest esse meritorius.

Sed contra. Omnis actus in quo impletur præceptum, est meritorius, si ex charitate fiat. Sed actus matrimonialis est huiusmodi: quia dicitur I. Corinth. vii. 3. Uxori vir debitum reddat. Ergo &c.

Præterea. Omnis actus virtutis est meritorius. Sed actus prædictus est actus iustitiæ, quia dicitur redditum debiti. Ergo est meritorius.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod cum nullus actus ex deliberata voluntate procedens sit indifferens, ut in II. Lib. (dist. xl. quæst. unid. art. 5.) dictum est, actus matrimonialis semper est peccatum, vel meritorius in eo qui gratiam habet. Si enim ad actum matrimonialem virtus inducatur, vel iustitiæ, ut debitum reddat, vel religionis, ut proles ad cultum Dei procreetur, est meritorius. Si autem moveatur libido sistens infra bona matrimonii, ut scilicet nullo modo ad aliam accedere vellet, est peccatum veniale. Si autem extra bona matrimonii efferatur, ut scilicet cum quadamque muliere id facere proponeret, est peccatum mortale. Natura autem movere non potest quin vel ordinetur ratione, & sic erit motus virtutis; vel non ordinetur, & sic erit motus libidinis.

Ad primum ergo dicendum, quod quod dicitur merendi quantum ad præmiium substantiale, est ipsa charitas; sed quantum ad aliquod accidentale præmiium ratio meriti consistit in difficultate actus; & sic actus matrimonii non est meritorius, sed primo modo.

Ad secundum dicendum, quod homo potest mereri in minoribus bonis, & in maioribus; unde quando aliquis minoribus bonis dimittit, ut majora faciat, laudandus est à minus meritorio actu discedens.

Ad tertium dicendum, quod indulgentia quandoque est de minoribus malis, & sic indulgetur quandoque matrimonii pro ut ad ipsum moveatur libido contra reminos matrimonii consistens, sic enim est veniale peccatum; sed pro ut ad ipsum movet virtus, ut est meritorius, non habet indulgentiam nisi secundum quod est indulgentia de minoribus bonis, quæ idem est quod concessio. Nec est inconveniens quod ille qui tali concessione utitur, mereatur; quia bonus usus beneficiorum Dei meritorius est.

Ad quartum dicendum, quod difficultas laboris requiritur ad meritum præmiæ accidentalis; sed ad meritum præmiæ essentialis requiritur difficultas consistens in ordinatione mediæ; & hoc est etiam in actu matrimoniali.

Ad quintum dicendum, quod primus motus, secundum quod dicitur peccatum veniale, est motus appetitus in aliquod inordinatum delectabile, quod non est in actu matrimoniali; & ideo ratio non sequitur.

catum; sed pro ut ad ipsum movet virtus, ut est meritorius, non habet indulgentiam nisi secundum quod est indulgentia de minoribus bonis, quæ idem est quod concessio. Nec est inconveniens quod ille qui tali concessione utitur, mereatur; quia bonus usus beneficiorum Dei meritorius est.

Ad quartum dicendum, quod difficultas laboris requiritur ad meritum præmiæ accidentalis; sed ad meritum præmiæ essentialis requiritur difficultas consistens in ordinatione mediæ; & hoc est etiam in actu matrimoniali.

Ad quintum dicendum, quod primus motus, secundum quod dicitur peccatum veniale, est motus appetitus in aliquod inordinatum delectabile, quod non est in actu matrimoniali; & ideo ratio non sequitur.

QUÆSTIO II.

Deinde queritur de matrimonio secundum quod est sacramentum; & circa hoc queruntur quatuor.

Primo. Utrum sit sacramentum.

Secundo. De institutione ipsius.

Tertio. De effectu.

Quarto. De integritate.

ARTICULUS I.

Utrum matrimonium sit sacramentum.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod matrimonium non sit sacramentum. Omne enim sacramentum novæ legis habet aliquam formam quæ est de essentia sacramenti. Sed benedictio quæ fit per sacerdotes in nuptiis, non est de essentia matrimonii. Ergo non est sacramentum.

2. Præterea. Sacramentum secundum Hegonem (Lib. I. de sacram. part. ix. cap. 11.) est materiale elementum. Sed matrimonium non habet pro materia aliquod materiale elementum. Ergo non est sacramentum.

3. Præterea. Sacramenta habent efficaciam ex passionibus Christi. Sed per matrimonium non conformatur homo passioni Christi, quæ fuit peccata; cum habeat delectationem adjunctam. Ergo non est sacramentum.

4. Præterea. Omne sacramentum novæ legis efficit quod figurat. Sed matrimonium non efficit conjunctionem Christi & Ecclesiæ quam significat. Ergo matrimonium non est sacramentum.

5. Præterea. In aliis sacramentis est aliquid quod est res, & sacramentum. Sed hoc non potest inveniri in matrimonio, cum non imprimat characterem, alias non iteraretur. Ergo non est sacramentum.

Sed contra est quod dicitur Ephes. v. 32. Sacramentum hoc magnum est &c. Unde non oportet iterari.

Præterea. Sacramentum est sacræ rei signum. Sed matrimonium est huiusmodi. Ergo &c.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod sacramentum imputat aliquod remedium sanctitatis homini contra peccatum, exhibitum per sensibilia signa, ut in 1. dist. q. 1. art. 2. quæstionem II. dictum est. Unde cum hoc inveniat in matrimonio, inter sacramenta computatur.

Ad primum ergo dicendum, quod verba quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma huius

jus sacramenti; non autem benedictio sacerdotis, quae est quoddam sacramentale.

Ad secundum dicendum, quod sacramentum matrimonii perficitur per actum ejus qui sacramento illo utitur, sicut poenitentia: & ideo sicut poenitentia non habet aliam materiam nisi ipsos actus sensui subjectos, qui sunt loco materialis elementi, ita est de matrimonio.

Ad tertium dicendum, quod quamvis matrimonium non conformet passioni Christi quantum ad penam, conformat tamen ei quantum ad charitatem; per quam pro Ecclesia sibi in sponsam conjungenda passus est.

Ad quartum dicendum, quod unio Christi ad Ecclesiam non est res contenta in isto sacramento, sed res significata non contenta: & talem rem nullum sacramentum efficit, sed habet aliam rem contentam, & significatam, quam efficit, ut dicitur. Magister autem posuit rem non contentam: quia erat hujus opinionis, quod non haberet rem aliquam contentam.

Ad quintum dicendum, quod etiam in hoc sacramento sunt illa tria: quia sacramenta tantum sunt actus exterior apparentes; sed res, & sacramentum est obligatio quae innascitur viri ad mulierem ex talibus actibus; sed res ultima contenta est effectus hujus sacramenti; non contenta autem est res quam Magister determinat.

ARTICULUS II.

Utrum matrimonium debuit institui ante peccatum.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod matrimonium non debuit institui ante peccatum. Quia illud quod est de jure naturali, non indiget institutione. Sed matrimonium est hujusmodi, ut ex dictis patet. Ergo non debuit institui.

2. Praeterea. Sacramenta sunt quaedam medicinae contra morbum peccati. Sed medicina non praeparatur nisi morbo. Ergo ante peccatum non debuit institui.

3. Praeterea. Ad idem sufficit una institutio. Sed matrimonium fuit institutum etiam post peccatum, ut in littera dicitur. Ergo ante peccatum non fuit institutum.

4. Praeterea. Institutio sacramenti debet esse a Deo. Sed ante peccatum verba quae ad matrimonium pertinent, determinate non sunt dicta a Deo, sed ab Adam: illa autem verba quae Deus dixit, Gen. 1. 28. Crescite, & multiplicamini, dicta sunt etiam brutis, in quibus non est matrimonium. Ergo matrimonium non fuit institutum ante peccatum.

5. Praeterea. Matrimonium est sacramentum novae legis. Sed sacramenta novae legis a Christo instituta sunt. Ergo non debuit ante peccatum institui. Sed contra est quod dicitur Matth. 19. 4. Non legitis, quod ab initio qui fecit hominem, masculum & feminam fecit illos, &c.

Praeterea. Matrimonium est institutum ad procreationem prolis. Sed ante peccatum necessaria erat homini procreatio prolis, ut in II. Lib. dist. 20. dictum est. Ergo ante peccatum debuit matrimonium institui.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod natura inclinat ad matrimonium, intendens aliquod bonum, quod quidem variatur secundum diversos hominum status: & ideo

oportet quod secundum illud bonum diversimode in diversis statibus hominum instituat. Et ideo matrimonium secundum quod ordinatur ad procreationem prolis, quae erat necessaria, etiam peccato non existente, institutum fuit ante peccatum; secundum autem quod remedium praebet contra vulnus peccati, institutum fuit post peccatum tempore legis naturae; secundum autem determinationem personarum, institutionem habuit in lege Moysi; sed secundum quod representat mysterium conjunctionis Christi & Ecclesiae, institutionem habuit in nova lege; & secundum hoc est sacramentum novae legis. Quantum autem ad alias utilitates quae ex matrimonio consequuntur, sicut est amicitia, & mutuum obsequium sibi a conjugibus impensum, habet institutionem in lege civili. Sed quia de ratione sacramenti est quod sit signum, & remedium; ideo quantum ad medias institutiones competit ei ratio sacramenti, sed quantum ad primam institutionem competit ei quod sit in officium naturae, quantum vero ad ultimam quod sit in officium civilitatis.

Ad primum ergo dicendum, quod illa quae in communi sunt de jure naturali, indigent institutione quantum ad eorum determinationem, quae diversimode comperit secundum diversos status; sicut de jure naturali est quod maleficia puniantur; sed quod talis poena tali culpae apponatur, per determinationem juris positivi fit.

Ad secundum dicendum, quod matrimonium non est tantum remedium contra peccatum, sed est principaliter in officium naturae; & sic institutum fuit ante peccatum, non autem propter est remedium.

Ad tertium dicendum, quod secundum diversa quae oportet in matrimonio determinari, non est inconveniens quod diversas habeat institutiones; & sic illa diversa institutio non est ejusdem secundum idem.

Ad quartum dicendum, quod matrimonium ante peccatum institutum fuit a Deo in hoc quod homini mulierem in adiutorium de costa formavit, & dixit eis: Crescite, & multiplicamini, &c. quod quamvis aliis animalibus dixit, non tamen per ea eodem modo implendum sicut per homines. Adam autem verba illa protulit a Deo inspiratus, ut intelligeret, matrimonii institutionem a Deo factam.

Ad quintum dicendum, quod quantum ad hoc quod matrimonium est sacramentum novae legis, non fuit ante Christum institutum, ut ex praedictis patet.

ARTICULUS III.

Utrum matrimonium conferat gratiam.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod matrimonium non conferat gratiam. Quia secundum Hugonem, Lib. I. de sacram. part. IX. c. 11. sacramenta ex sanctificatione invisibilem gratiam conferunt. Sed matrimonium non habet aliquam sanctificationem quae sit de essentia ejus. Ergo non conferatur gratia in ipso.

2. Praeterea. Omne sacramentum conferens gratiam, confert ipsam ex materia, & forma sua. Sed actus qui sunt materia in hoc sacramento, non sunt causa gratiae: verba etiam experimentia consensum non sunt causa gratiae, cum ex eis non sit aliqua sanctificatio. Ergo in matrimonio nullo modo gratia datur.

3. Praeterea. Gratia ordinata contra vulnus peccati est necessaria omnibus habentibus vulnus illud. Sed in omnibus invenitur concupiscentiae vulnus. Si

ergo in matrimonio detur gratia contra vulnus concupiscentiae, debent omnes homines matrimonio contrahere; & sic esset valde stultum a matrimonio abstinere.

4. Praeterea. Infirmus non accipit medicamentum ab eodem a quo accipit intensionem. Sed per matrimonium concupiscentia accipit intensionem: quia sicut dicit Philosophus in III. Ethic. cap. ult. insatiabilis est concupiscentiae appetitus, & per (1) operationem congruam augetur. Ergo videtur quod in matrimonio non conferatur remedium gratiae contra concupiscentiam.

Sed contr. Diffinitio, & diffinitum debent converti. Sed in diffinitione sacramenti ponitur causalitas gratiae, ut in 1. dist. patuit. Ergo cum matrimonium sit sacramentum, erit causa gratiae.

Praeterea. Augustinus dicit, super Gen. ad litteram Lib. IX. cap. VII. quod matrimonium est aegrotis in remedium. Sed non est in remedium, nisi in quantum aliquam efficaciam habet. Ergo habet aliquid efficaciae ad reprimendum concupiscentiam. Sed concupiscentia non reprimitur nisi per gratiam. Ergo confertur in ipso gratia.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa hoc fuit triplex opinio.

Quidam enim dixerunt, quod matrimonium nullo modo est causa gratiae, sed est tantum signum. Sed hoc non potest stare: quia secundum hoc in nullo differret a sacramentis veteris legis: unde non esset aliqua ratio quare sacramentis novae legis annumeraretur. Quod enim remedium praebet satisfaciendo concupiscentiae, ne (2) in praecipis ruat, dum nimis arcatur, habuit etiam in veteri lege ex ipsa natura actus.

Et ideo alii dixerunt, quod confertur ibi gratia in ordine ad recessum a malo: quia excusatur actus a peccato, qui sine matrimonio peccatum esset. Sed hoc esset nimis parum: quia hoc etiam in veteri lege habuit: & ideo dicunt, quod facit recedere a malo, in quantum mitigat concupiscentiam, ne extra bona matrimonii feratur; non autem per gratiam, illam fit aliquid auxilium ad bene operandum. Sed hoc non potest stare: quia eadem gratia est quae impedit peccatum, & quae ad bonum inclinat, sicut idem calor qui auferit frigus, & qui calefacit.

Unde alii dicunt quod matrimonium, in quantum in fide Christi contrahitur, habet ut conferat gratiam adjuvantem ad illa operanda quae in matrimonio requiruntur: & hoc probabilius est: quia ubicumque datur divinitus aliqua facultas, dantur etiam auxilia quibus homo convenienter uti possit facultate illa, sicut patet quod omnibus potentiis animae respondent aliqua membra corporis, quibus in actum exire possint. Unde cum in matrimonio detur homini ex divina institutione facultas utendi sua uxore ad procreationem prolis, datur etiam gratia sine qua id convenienter facere non posset, sicut etiam de potestate ordinis supra dictum est: & sic ista gratia data est (3) ut iam res contenta in hoc sacramento.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut aqua baptismi habet quod corpus tangat, (4) & cor abluat ex tactu carnis Christi; ita matrimonium hoc habet ex hoc quod Christus sua passione illud representavit, non principaliter ex aliqua sanctificatione sacerdotis.

(1) Al. oppositionem. (2) Al. in praecipis. (3) Nicolai: ultima res. (4) In editis & corpus, (5) Al. cognita.

Ad secundum dicendum, quod sicut aqua baptismi, vel forma verborum non operatur ad gratiam immediate, sed ad characterem; ita actus exteriores, & verba experimentia consensum directe faciunt nexum quemdam, qui est sacramentum matrimonii: & huiusmodi nexus ex virtute divina institutionis dispositive operatur ad gratiam.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procederet, nisi contra concupiscentiae morbum posset aliquid efficacius remedium adhiberi. Adhibetur autem majus remedium per opera spiritualia, & carnis mortificationem ab illis qui matrimonio non utuntur.

Ad quartum dicendum, quod contra concupiscentiam potest praestari remedium dupliciter. Uno modo ex parte ipsius concupiscentiae, ut reprimatur in sua radice; & sic remedium praestat matrimonium per gratiam quae in eo datur. Alio modo ex parte actus ejus, & hoc dupliciter. Uno modo ut actus ad quem inclinat concupiscentia, exterius turpitudine careat, & hoc fit per bona matrimonii, quae honestant carnalem concupiscentiam. Alio modo ut actus turpitudinem habens impediatur, quod fit ex ipsa natura actus: quia dum concupiscentiae satisficit in actu conjugali, ad alias corruptelas non ita incitat: propter quod dicit Apostolus, I. Corinth. VII. 9. Melius est nubere quam uri. Quamvis enim opera concupiscentiae (5) congrua secundum se nata sint concupiscentiam augere, tamen secundum quod ratione ordinantur, ipsam reprimunt, quia ex similibus actibus similes relinquuntur dispositiones, & habitus.

ARTICULUS IV.

Utrum carnalis commixtio sit de integritate matrimonii.

III. P. q. XXIX. art. 2.

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod carnalis commixtio sit de integritate matrimonii. In ipsa enim institutione matrimonii dictum est, Gen. 11. 24. Erunt duo in carne una. Sed hoc non fit nisi per carnalem commixtionem. Ergo est de integritate matrimonii.

2. Praeterea. Id quod pertinet ad significationem sacramenti, est de necessitate sacramenti, ut praedictum est. Sed carnalis commixtio pertinet ad significationem sacramenti, ut in littera dicitur. Ergo est de integritate sacramenti.

3. Praeterea. Huiusmodi sacramentum ordinatur ad conservationem speciei. Sed conservatio speciei non potest fieri sine carnali commixtione. Ergo est de integritate sacramenti.

4. Praeterea. Matrimonium est sacramentum, secundum quod remedium contra concupiscentiam praestat, de quo dicit Apostolus I. Corinth. VII. 9. quod melius est nubere quam uri. Sed hoc remedium non praestat in his qui carnaliter non commiscuntur. Ergo idem quod prius.

Sed contra. In Paradiso fuit matrimonium. Sed ibi non fuit carnalis copula, Ergo commixtio carnalis non est de integritate matrimonii.

Praeterea. Sacramentum ex suo nomine sanctificationem importat. Sed sine carnali commixtione est matrimonium sanctius, ut in littera dicitur. Ergo carnalis commixtio non est de necessitate sacramenti.

SO.